

671

CODICES

672

mina, aut scripta deperierint. Interim in illa Librorum raritate et caritate amica certe fuit hominum instructoribus Bibliothecis adfidentium ejusmodi opera. Ad calcem iterum adjectum: *Vitus hunc librum illuminavit.*

CCCXIX.

- U. 88 Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 164. 4. luculente perscriptus, et rubricis distinctus complectitur *D. Aur. Augustini Ep. Hippon. Libros XII. de Genesi ad Litteram*, quorum priores duo non parum ab humore, fituque passi sunt. Inscriptio miniata: *Augustinus super Genesim ad litteram. L. I. initium: Omnis diuina Scriptura bipertita est secundum id quod Dominus significat dicens &c.* Ad calcem L. I. additur: *Legi sexto decimo kalen. decembr.* Ad calcem L. II. *Legi XVII. kal. Decembris.* Ad calcem L. IV. *Legi. Liber XII. a vulso fine in his verbis rumpitur: et nunc etiam ad ipsos quos obiurgabat et — —.* Leguntur haec edit. *Maur. Paris. 1689. T. III. P. I. col. 317. ad finem n. 55.* cui editioni non uno loco collatus Codex inter sinceriores referri meretur.

CCCXX.

- R. 3292 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 163. f. maj. per duas columnas eleganter scriptus, et rubricis distinctus insignitur: *In nomine sancte trinitatis Incipit expo-*

sicio primi psalmorum libri Beatissimi Augustini qui etiam decadas est nomine prenotatus. Divisionis in XV. Decadas jam Cassiodorus meminit in Prologo suo in Psalmos, sed eam in Codicibus raro reperiri, obseruarunt Mauriani in Praef. T. IV. Opp. Augustini. Hoc ergo Codice velut T. I. continetur Expositio Quinquagenae I. Psalmorum absque omnibus Prolegomenis, orditurque continuo: Beatus vir qui non abiit &c. de domino nostro ihesu christo id est homine dominico accipiendum est &c. Ad calcem: Explicit. 1. 4. 7. 6.

CCCXXI.

- R. 3293 Codex membranaceus ejusdem rationis, Folior. 313. ab alia manu est Tomus II. inscriptus: *Incipit tractatus aurelij Augustini de quinquagesimo primo psalmo, et infit: Psalmus breuis est de quo loquendum suscepimus &c. ut Edit. supracit. col. 475. Continet Quinquagenam II. Psalmorum, et in fine miniatam hanc Claufulam: Explicit expositio sancti Augustini episcopi eximij doctoris super secundam quinquagenam psalterij comparata a reuerendo in christo patre ac domino domino Benedito abbate hujus monasterij meensee (Mondsee) scripta per fratrem Jacobum keser de wratistauia professum eiusdem monasterij. finita anno ab incarnatione domini millesimo quadringentesimo septuagesimo octauo in die sancti felix in pincis.*

Scri.

*Scriptori requiem leſtor depoſce perhennem
Qui mente pia petit dici aue Maria.*

CCCXXII.

R. 3294 Codex ejusdem rationis, Folior. 266. ab alio Scriptore, et praecedentibus ornatior est Tomus III. complexus *Quinquagenam III. Psalmorum*, quorum primus *ἀνεπιγεῖαφος* incipit: *Ecce unus pauper orat, et non orat in silentio*, ut edit. *Maur. cit. col. 1091.* Ad calcem hic: *Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo tercio finiui hunc librum in die Sancti Galli confessoris atque Abbatis. Deo gracias. Per me fratrem Wilbelmum.* Tres istos Coenobitas nemo sanus otii aut desidiae arguet, qui vastos ejusmodi Tomos ita gnauiter exarant, ut toto opere calamum nunquam posuisse, nunquam interquieuisse videri possint. Exemplis ceterum sat castigatis uſi sunt.

CCCXXIII.

R. 5 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 143. fol. max. caractere grandi, nitido per duas columnas exaratus, et literis initiorum luculentissimis eleganter picturatis, olim *Monachorum congregationis S. Justine de Padua, deputatus Monasterio S. Seuerini de Neapoli*, ut ora inferior p. 1. testatur, continet Partem priorem *Enarrationum D. Augustini in Psalmos*, et ita inscribitur: *In Nomine Domini Incipit Prologus Beati Augustini Super Expositio-*
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

nem Psalterii. Prologus hic manu Seculi XV. rescriptus est, cum folio primo Codicis avulso, non nisi tres lineae ultimae illius a prima manu restarent. Perperam vero ad *Augustinum* refertur, licet a variis Codicibus, antiquioribusque Editionibus ei tributus. Est enim *Basilii M.* et graece legitur *Edit. Maur. T. I. Paris. 1721. p. 90.* f. adjuncta Versione magis quidem pressa, quam nostra fit, quae autorem habet *Rufinum Aquilej.* et ejusdem *Edit. T. II.* inserta est a *Garnerio Append. p. 713.* cum aliis *Basilianis* a *Rufino* versis, ut ipse in *Praef. ad Apronianum* testatur. Abest vero hic Prologus ab edito sub *Rufini* nomine *Lugd. 1570. f. Commentario in LXXV. Psalmos*, unde fulcitur Eruditorum sententia Commentarium hunc *Rufino* subpositum fuisse, pertinere ad alium Compilatorem, et fortasse *Vincentium* quemdam *Presbyterum Gallum*, ut visum *Valarsio*, qui teste *Gennadio c. 80.* in *Psalmos* scripsit, statimque in *Psalmum I.* locum sat prolixum sublegit *Augustino* nostro, quod *ὡς ἐν παροῶν* dictum. Initium porro hujus Prologi est: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata utilis est &c.* Finis: *ipsa Psalmorum indicent initia.* Opus ipsum minio inscribitur: *Incipit de primo psalmo*; et orditur: *Beatus vir &c. De domino nostro ihesu christo id est homine dominico &c.* ut *Edit. Maur. T. IV. Paris. 1691. col. 1. f.* quacum ita